



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Liber I. De dolore cordis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

LIBER I.

DE

DOLORE CORDIS.

CAPVT I.

De dolore, quoad substantiam,
præsertim circa mortalia.

§. I.

Quid sit Contritio, & Attritio.

Dolor ad pœnitentiæ
Sacramentum requi-
situs vel esse Contri-
tio potest, vel Attritio,
a etiam ut talis cognita. b
2 Contritio autem est dete-
statio peccati c propter Deum
summè dilectum cum proposito
non peccandi de cetero. Attritio
d est detestatio ejusdem pec-
cati,

a Conc.
Trid. sess.
14. c. 4.
b Suar.
disp. de
pœn. sect.
pr. n. 20.
Et Præ-
positus qui-
dem de pœ-
nie dub. 5.
n. 56. dicit
id esse mo-
raliter cer-
tum, & cō-
trariam
opinionem
nullā ha-
bere pro-
babilita-
tem.
c Conc.
Trid. sess.
14. c. 4.
d Ibid.

4 *Lib. I. Cap. I. §. 2.*

eati, saltem propter aliquod ex his tribus motivis, id est, vel propter timorem gehennæ; vel propter amorem gloriæ: vel propter turpitudinem ipsam peccati, animam commaculantis.

3 Dixi (saltem) nam de quodam quarto motivo dicitur infra mox, §. 4. Hæc est doloris natura. Ceterum pro nostro expediendæ Confessionis instituto, notentur sequentia.

§. 2.

An sit necessaria singulorum peccatorum memoria, vel eorum, quibus est Deus præponendus.

4 **N**on esse necessariam singulorum recordationem peccatorum est communis doctrina. Satis est igitur, ut ea in universum detesteris; nam singulorum expressio in oris Confessione,

a Laym

l. 5. tr 6.

c. 4. n. 4.

sefsione requiritur, non in cordis dolore.

¶ Unde quando advertis peccantem tuum valde alicui crimini addictum; ne inculces doloris actum circa illud peculiare peccatum, periculum enim suberit, ne illud ex animo detestetur, dum ejus specialis memoria refricatur; quod in univ[er]sum, & simul cum aliis, detestandi difficultatem vel nullam sentiet, vel exiguam.

¶ Propter eandem fere rationem non est necesse, immo in infirmioribus conscientiis esset periculo satis obnoxium ad particularia, singulaque descendere, quæ Dei sunt amori postponenda: v. g. non oportet sic dicere; super divitias, super vitam, super honorem Deum diligo: satis enim est dicere super omnia Deum diligo, propter quem omnia peccata detestor, & execror.

a Lege
Bellarm.

De proposito non peccandi.

tr. 3. l. 2.

de pœn c. 6 7

§ 7. cont.

vegam.

b Vega in

Trid. l. 13.

c. 21. eam-

dem sent.

Reginal.

rom 1. l. 5.

de contrit.

ai esse pro

babilem &

idem Bon.

de pœn.

dis. 5. q. 5.

sect. pr.

pun. 8.

c De Lug.

de pœn

d. 14. sec. 5

q. 52.

Propositum explicitum de
cetero non peccandi, licet
laudabiliter addatur, & in sen-
tentia multorum necessario; a
at in probabili aliorum opinione
fatis est implicitum; b hoc est il-
lud, quod involvitur in ipso actu
detestationis, seu displicentiæ.
Nam qui ex corde dicit mihi pec-
catum displicet; implicitè in-
volvit se nolle amplius illud
committere. Nemo enim vult
committere, quod ipsi displicet.
s Adverte, quando dolor est
Attritio ex motivo turpitudinis
peculiaris alicujus peccati, v. g.
Luxuriæ; non satis esse propo-
situm implicitum in ejusmodi do-
lore concepto ex tali peculiari
motivo; sed debere tunc addi
propositum explicitum & de ce-
tero

vero non peccandi. Ratio est, quia in Confessione requiritur propositum nullum peccatum committendi: at in dolore concepto ex motivo particulari non involvitur, ne implicitè quidem, propositum non committendi alia peccata, in quibus tale motivum particulare non residet: ergo meritò tum debet vel superaddi explicitum, vel eliciatur alius actus doloris ex motivo universalis, quale est timor, gehennæ, amor gloriæ, & cetera.

9 Rursus adverte posse contingere, ut quis absolutè proponat se de cetero non peccaturum: timeat vero, immo certo sibi persuadeat, se propter fragilitatem iterum lapsurum, & tamen hic sufficienti proposito ad Sacramentum accedit. Nam ut Sylvester *d* rectè notavit, Velle *d* Sylv. *V.* ac proponere est actus voluntatis; existimare autem se relapsurum est actus intellectus. *Confessio. p. 9. 21.*

10 Denique adverte non esse satis propositum solum sine explicito dolore, sicuti diximus sufficere solum dolorem sine explicito proposito. Differentiæ ratio est, quia in proposito de futuro non includitur odium præteriti; posset enim quis sic sentire. Nolo in futurum occidere, complacet tamen semel occidisse: id quod non est in vero dolore. e

e *Idem*
De Lugo
ibid. n. 56

§. 4.

An timor mali temporalis possit esse motivum Attritionis.

11 **I**Nter motiva Attritionis, de quibus n. 4. diximus, licet aliqui non admittant aliud quartum, id est, timorem mali temporalis, atque adeo, qui peccata execraretur propter timorem infamiæ, carceris, ægritudinis, & similia, quæ propter peccata

peccata incurri solent, legitimum dolorem pro Sacramento Confessionis, per hos Doctores, non afferret, quia hujusmodi dolor naturalis est (ajunt) non autem supernaturalis, & prout oportet ad gratiam supernaturalem obtinendam; tamen in sententia probabilissima *a* etiam hoc motivum est sufficiens, si hujusmodi mala temporalia timeantur, ut à Deo inflictæ, seu infligenda, ut sic enim supernaturalem dolorem parere poterunt: concipi autem hujusmodi timor in hunc ferè modum potest. Detestor peccata quorum causa me Deus meritò febricitare, carcere, malisque similibus temporaneis affliget, conteretque. Notanter enim Concilium Tridentinum *b* cum ex timore concipi posse Attritionem docuit; non dixit pressè ex timore solum gehennæ, vel alterius pœnæ spiritualis, seu æternæ; sed addit

*a Regin.
Tom. 1. l. 5
de contrit.
n. 43*

*b Concil.
Trid. sess.
14. c. 4.*

10 *Lib. 1. Cap. 1. §. 5.*

in uniuersum ex timore pœnarum: sic enim habet. Attritio, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione. vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, &c.

§. 5.

*An actus amoris Dei sit sufficiens
dispositio pro Sacramento
Pœnitentiæ.*

12 **A**ctus amoris Dei solus, sine formali dolore peccatorum, licet in probabili sententia sit satis ad iustificandum peccatorem extra Sacramentum, at ex communissima Theologorum sententia non est sufficiens dispositio ad Sacramentum pœnitentiæ; quia hic ex Conc. Trid. requiritur ut pars actus pœnitentiæ, id est, dolor, & delectatio; quæ simpliciter prolata intelliguntur de actu formali,

NON

Lib 1. Cap. 1. §. 6. RE

non de æquivalenti, a qualis est actus amoris. Tamen si quis in suis Confessionibus ejusmodi actum solius dilectionis exhibuerit; ne scrupulosè sit de Confessionum nullitate sollicitus. Cum enim fieri moraliter non possit, ut is, qui suorum est memor peccatorum, dum amat Deum super omnia, non avertatur per detestationem à peccatis; jam satis habuisse necessarium dolorem erit practicè judicandum. b Vide quæ infra dicentur de virtuali dolore venialium c. 3. §. 1.

a Suar. de pœn d. 20. sect. 4. n. 1. Coninch d. 4. dub. 5. n. 39. Bonac d. 5. de Sas q. 3. p. 2. m. 6.

b Coninch d. 2. n. 5. & seq.

§. 6.

Formula Contritionis & Attritionis.

13 **A**ctus Contritionis hic est. a De peccato, quia est Dei offensa, & injuriâ super omne id, quod me poenitere potest, A 6

a Fagun. pr. Eccl. 1. l. 2. c. 3. n. 15.

12 *Lib. 1. Cap. 1. §. 6.*
test, pœnitet ; & propono cum
divina gratia me amplius mor-
taliter non peccaturum.

Brevius & facilius.

14 Pœnitet me intimè de
meis peccatis propter Deum,
quem summè diligo , emenda-
tionemque propono in futurum.

*Brevius cum proposito im-
plicito b*

*b Ex De
Lugo de
pœn. d. 5.
sec. 1. &
aliis.*

15 Displicet mihi peccasse,
quia feci contra te, Deus meus
bone, quem ego toto corde amo.

*c Fagund.
pr. Eccl. 2.
l. 2. c. 3.
n. 15.*

16 Actus Attritionis est hu-
jusmodi c Pœnitet me de meis
peccatis, quia per illa Deus me
beatitudine privare potest, vel
multis malis temporalibus, vel
æternis affligere : vel quia per
illa Anima mea coram Dei ocu-
lis deturpatur: & propono emen-
dationem in futurum.

*d Ex do
Strina da-
ta n. 7.*

*Brevissimè cum proposito im-
plicito. d*

17 Mihi displicet peccasse pro-
pter mala, quæ Deus mihi im-
mittere;

Lib. 1. Cap. 2. §. 1. 13
mittere, vel bona, quibus me
privare potest.

C A P V T II.

De eodem dolore quoad
quasdam circum-
stantias.

§. 1.

De dolore quod non doleas.

Erne sufficiens dispositio ad hoc Sacramentum dolor, quem quis habet; quod non doleat de peccatis? Aliqui concedunt. *a* Sed Theologi communiter *b* merito negant, quia dolor debet esse de peccatis, non de negatione doloris: Adde tamen, pro praxi, in timoratis conscientiiis, quæque nullum actualem affectum ad peccatum habent, optare se dolere, vel dolere

a Sylvest. Navarr. Si cit. à Laym. mox cit. b Laym. n. 5. tr. 6. c. 4. n. 5. & Præpositus de peccatis dub. 3. n. 40.

A 7 lere

lere quod non doleant, satis esse, quia ejusmodi affectus est signum veri doloris.

c Idem
Laym ib.

§. 2.

De intensione, & qualitate doloris.

1 IN quolibet gradu, etiam remississimo, satis est dolor: nec requiritur quædam teneritudo cordis, vel lacrymæ: sufficit enim solus appetitatus; b hoc est ut ita sit homo affectus; ut secundum rectam rationem ipse detestatur, seu recedat à peccato modo supradicto.

a Laym l.
5. tr 6. c 4
n. 1. Suar.
de pœnit.
disp 4.
sect. 4 n. 9.
b Idem,
& Coninc.
de pœnit.
d. 2. dub. 7
conc. 2.

§. 3.

An dolor procedere debeat ex intentione Confessionis.

3 Q Uamvis bene eliciatur dolor ex intentione ad Confes-

Confessionem; Id tamen necessarium nequaquam erit. v. grat. sic. Quia volo confiteri, doleo; seu, quod idem est; Quandoquidem ad Confessionis Sacramentum accedo, actum doloris elicere volo, & de facto elicio: id, inquam, necessarium non est; cum factis abundè sit, si quis dolet, & etiam sine memoria Confessionis: nam postea poterit rite illo uti dolore ad poenitentiae Sacramentum suscipiendum, v. gr. sic; quandoquidem doleo, & me peccatorum poenitet; volo confiteri: seu quia hodie mane v. gr. dolui de peccatis, neque hunc dolorem retractavi, nunc volo confiteri, & sanè tunc de facto confiteri possum sine necessitate dolorem renovandi.

§. 4.

*Quando dolor exhibendus
est.*

4 **P**Ræterea non est necesse quod dolor antecedit Cōfessionem, satis est si antecedit absolutionem.

5 Quoniam vero communiter solet præcedere Confessionem, quanto tempore præcedere potest? Dico, quantum moraliter potest censerī unum actum imperari ab alio, & facere unum moraliter cum illo. Hæc est doctrina Theologorum communis. Sed quoad praxim difficultas est, quantum sit illud tempus, quod id moraliter censeatur in re nostra? Respondeo, qui mane dolet, & actu non revocato, post tres vel quatuor horas confitetur sine novo doloris actu, non est dubium, quod benè satisfaciat. Rursus si quis vesperi exa-

minans

minans conscientiam elicit actum doloris proponens sequenti die confiteri, abundè est. Idem puto si non solum præcedenti vesperi, sed etiam præcedente die id fecerit: actu semper, ut dixi, non revocato. Longiorem temporis extentionem nondum inveni apud Theologos. Si quis inveniat, vel longiorem satis esse autumet; hic oro, subscribat. Illud ad solamen timoratorum tacere non debeo. Si in hoc Sacramento unum quid moraliter faciunt Confessio nunc v. gr. exhibita, cum satisfactione, quæ forte hinc ad plures dies, & aliquando menses exhibetur, imo si esset certus Confessor, quòd Pœnitens, quem ab hinc quatuor diebus, v. grat. audivit, benè esset dispositus; illum nunc liceret absolvere, & sic illa Confessio cum præsentis absolutione unum moraliter facere posset, & merito, quia similis propinquitas

tas

gas satis superque est ad iudicia profana constituenda, ad quorum normam hoc Ecclesiæ iudicium à Christo Domino est institutum: si hæc, inquam, ita se habent, cur etiam non poterit dolor ab hinc quatuor, vel quinque diebus animo conceptus, nec revocatus, unum quid moraliter cum præsentis Confessione constituere?

6 Actus autem doloris revocatur vel per actum contrarium, id est, per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud novum peccatum mortale. Vide, quæ infra dicam cap. sequenti §. 4.

§. 5.

De novo dolore in nova peccatorum absolutorum Confessione.

7 **Q**ui iterum confitetur peccata aliàs absoluta, indi-

indiget ne novo doloris actu, an vero sufficiet ille dolor antiquus: utique non retractatus qui jungatur nunc cum hac nova Cōfessione? Respondeo. Quamvis aliqui absolutè satis illum esse dolorem non retractatum concedant; *a* tamen ut probabilis hæc sententia fiat, addenda est hæc limitatio, *b* ut antiquus ille dolor non sit ita tempore distinctus ab hac Confessione, ut moraliter unum quid cum hac facere non censeatur.

8 Ex quo duo colligi possunt, Primo, quia supra diximus dolorem antecedentis diei non retractatum facere unum quid posse cum Confessione diei sequentis, ideo consequenter probabile erit dolorem Confessionis antecedenti die habitum posse extendi ad Confessionem eorundem peccatorum absolutorum, quæ fiat in sequenti die. Sicut enim, ibi ad moralem unitatem suffi-

ciri

*a Ita Io.
la Cruz. &
Ledesma
apud Diã.
T. 2. T. 7.
ref. 116.
b De Lug.
de pæn.
disp. 14.
sec. 3. n. 38*

cit; ita, & hic erit ad eandem
satis.

6 Secundò, si post collatam
ritè absolutionem pœnitens re-
cordetur, afferatque aliquid,
quod confiteri oblitus fuerit:
vel etiam aliquid, de quo dubi-
ter, quod sit certa materia abso-
lutionis, unde illum jubeas ali-
quid certum repetere ex pecca-
tis jamjam exhibitis; non est ne-
cesse ut iterum doleat. *c* Ratio
est, quia si nova hæc absolutio
cadat in peccata jam absoluta;
proderit, juxta modo dicta, do-
lor præcedentis Confessionis,
qui certè non longè distat. Si
verò cadat etiam in peccatum de
novo allatum, proderit ille idem
præcedentis Confessionis dolor:
quia nimirum is extendebatur
ex motivo, ut suppono, univer-
sali, quo fuit elicitus pro omni-
bus peccatis è Pœnitente com-
missis, inter quæ est hoc pecca-
tum

c Henrig
l. 4. de pœ-
nit. c. 26.
§. 7.

tum nunc directè absolvendum, quod de novo clavibus subditur.

10 Atque hæc doctrina est noranda pro his frequentibus eventibus, quando pœnitens post collatam absolutionem alia peccata manifestat, quæ memoria exciderant: post collatam, inquam, sive immediatè, ut dictum est, sive etiam post aliquas horas, sive etiam post diem, modo dicto §. præcedenti.

C A P V T III.

De dolore Venialium.

§. I.

De venialium dolore virtuali.

Licet ad peccatorum venialium remissionem, extra Sacramentum Confessionis non requiratur formalis detestatio, sed sufficiat virtualis; a ta-
men

*a Vasq. de
pœn. q. 91.
art. pr.
dub. 1. n. 2.
Suar. de
pœn. d. 1
sect. 3. &*

d. 20. sec 6
Bonac d. 5
de pœn q. 5
sect. pr.
p. 3.

b. Sess. 14.
c. 3.

c. Ibid
c. 4. seq.

men si ea subicias Confessione,
 communis sententia Theologo-
 rum docet, detestationem for-
 malem esse adhibendam: id est
 non satis esse dolorem implici-
 tum, seu inclusum in aliquo alio
 actu, sed necessarium esse actum
 explicitum doloris: quia ex Tri-
 dent. & tunc dolor est pars essen-
 tialis Sacramenti, quod æque
 suis essentialibus constare debet
 partibus, sive exhibeantur venia-
 lia, sive mortalia; Nihilominus
 probabile est etiam sufficere do-
 lorem virtualem in Confessione
 venialium: in Confessione enim
 mortalium, de qua solum agere
 videtur & Concilium quando re-
 quirat dolorem formalem, ne-
 cessarius omnino est formalis.
 Quare si quis accedat ad confi-
 tenda venialia sine actuali, com-
 placentia peccati veniali, cum
 desiderio recipiendi Sacramen-
 tum, ejusque effectum; cum in
 hoc desiderio sufficienter dete-
 statio;

stationem virtuales habeat, bene erit dispositus. Nam propterea Concilium alicubi dicit ad Sacramentum hoc requiri, tanquam partem, proprium motum poenitentis: tunc enim videtur loqui de Confessione in universum, id quod verificatur in Confessione venialium, nam certe voluntas suscipiendi Sacramentum, motus est proprius poenitentis.

d Conc.
Irid. sess.
14. e. 4.
sine.

e Disp. 28
de Contr.
dub. 7. n.

2 Hanc sententiam Præpositus vocat non improbabilem, citatque pro ea Suarium de poenit. disp. 12. sect. pr. n. 9. quamvis alibi sibi contrarium; additque idem Præpositus, quod hanc sententiam alii sequuntur: juxta quam si quis se dirigat non peccabit, & forte consequetur Sacramenti effectum. Hanc eandem sententiam sequitur Rosella & Sylvester & veram esse mihi dixit P. Franciscus Chiros nostræ Societatis Iesu in Theologia

73
f Rosell. 2.
Confess. 2.
§. pr.
g V. Conf.
p. 9, 21. qui
cit. Scot.
sed imme-
rito ait De
Lug. de
poen d. 14.
sect. 1. n. 3

*h Cit. ab
eod. de Lu-
go.*

*i Apud
eundem
De Lugo.
1 Pet. à
Sot. Sylv.
Gab. Ro-
sell. aliq;
cit. partim
à Suar. de
pœn d. 29.
sect. 1. par-
tim à Vas.
de pœn. q.
92. art. 1.
dub. 1. re-
jectique.
m Loc. cit.
n Loc. cit.*

logia morali non parum versatus : Favent Ledesma, Vega, Almainus, & Bernardus de Ganaco *h* : quatenus dicunt dolorem esse quidem partem; sed integram, non essentialem Sacramenti, atque adeo sine qua tota essentia Sacramenti consistat: quos tamen licet cum opinione communi Theologorum rejiciamus; nihilominus prædictæ sententiæ favere inficiari non possumus.

3 Petes in Confessione moralium possumusne sequi opinionem affirmantem satis esse similem detestationem virtutem inclusam in voluntate suscipiendi hoc Sacramentum, & ejus effectum, sine actuali complacentia peccati? Respondeo. Ita docent aliqui *l*. Sed Vasquez *m* sententiam hanc non, requirentem in Confessione formalem dolorem post Tridentinum appellat erroream, Suarez *n* temerariam: quæ

quæ censuræ solum intelligi de-
bent de Confessione mortaliū.
Quis igitur velit eam senten-
tiam, cui tanti viri tam acrem
notam inurunt prudenter se-
qui?

4 Denique quod non sit mor-
tale, sed veniale confiteri ve-
nialia sine dolore nec formali,
nec virtuali; quia solum esset
frustrare Sacramentum in re le-
vi, quæ fuit opinio cujusdam
Theologi recentioris & videtur
omnino falsum: quia non vide-
tur p̄ leve irritam cadere abso-
lutionem.

o Apud
De Lugo
de pœn.
d 14. sect. 8
p̄ Ibidem.

§. II.

*De dolore unius peccati venialis,
& non alterius.*

5 Satis est ad Confessionem
venialium si confitearis
unum v. g. vel alterum pecca-
tum veniale, deque eo habeas
B debi-

verfa
Vega,
e Gan-
dolo-
sed in-
m Sa-
e qua
confi-
a opi-
orum
rædi-
ficiari
e mor-
pinio,
e simi-
m in-
oiendi
s effe-
centia
ocent
nten-
em in
lorem
erro-
riam:
quæ

debitam displicentiam, taceas autem alia venialia, de quibus nec dolorem habes, nec propositum ea declinandi *a*.

a Laym. 1
15. tr. 5. de
pœn. c. 4.
n 19. Sua-
rez de pœ-
nit. d. 20.
sec. 1. Ba-
gund. l. 2.
de 2. Eec.
præc. c. 1.
n 13.
b Idem ib.

6 Idem dic si hæc venialia, de quibus nec doles, nec proponis, non taceas, sed dicas in eadem Confessione in qua illud unum, vel alterum cum vero dolore confiteris *b*. Ratio utriusque est, quia malitia peccati venialis cum non consistat in aversione à Deo, est divisibilis: unde unum veniale remitti sine alio potest: & consequenter dispositio ad unius deletionem, potest esse sine dispositione ad deletionem alterius.

7 Propter eandem rationem cum quis multa peccata venialia fateatur, de quibus nihil, ne virtualiter quidem, dolere supponeremus: subdit tamen simul peccatum aliquod mortale, sive aliàs absolutum, sive nunc primo Confessori manifestatum, de

de quo rite dolet; valida, & licita est Saaramentalis susceptio: quia absolutio cadit in mortalis remissionem, quæ est divisibilis à remissione venialium. Non sic si multa fatearis mortalia, de quorum aliquibus doleas, & de uno, verbi gratia, nequaquam: nam tunc Confessio nec licita est, nec valida: quia, ut dicebam, non potest unum mortale, quod est absolutè averfio à Deo, remitti sine remissione omnium aliorum, quæ sunt similiter averfio.

c. Idem id.

8 Eodem pacto si forte quis fateretur venialia, & mortalia, doleret autem de venialibus, & non de mortalibus; invalidè, & illicitè se gereret: quia veniale non dimittitur ei, qui est propter mortale Dei inimicus, & ab eodem averfus.

9 Quod dictum est n. 5. & 6. intellige etiam si sermo sit de venialibus ejusdem speciei: verbi

B 2 gratia

*d De Lug.
de pœn. d.
14. sec. 7.
§ 3.*

gratia potest quis habere sufficientem pro Confessione dolorem de uno mendacio, absque dolore de aliis mendaciis, & absque proposito vitandi omne mendacium *d.* Ratio est quia potest inveniri aliqua inæqualitas in ipsis individualibus peccatis venialibus, ratione cujus moveatur quis ad dolorem potius unius, quam alterius: verbi gratia, potius dolebit quis de mendacio deliberato per perfectam advertentiam, vel prolato sine causa, seu sine ulla utilitate, vel cum damno majori proximi intra latitudinem venialis, &c. quàm de mendacio his circumstantiis nequaquam affecto. Sicut etiam verbi gratia, detestabitur quis furtum leve unius luthi, non vero furtum aliud levius unius oboli, &c. Hoc igitur poterit quis offerre pro materia delenda à Sacramento Confessionis.

De

§. III.

*De dolore venialium quoad
frequentiam.*

10 Sufficit etiam ad Confessionem sacramentalem venialium dolor de multitudine, & frequentia eorum, propositumque illam frequentiam, multitudinemque vitandi. *a* Potest enim dari pro materia Sacramentali aliqua partialis malitia, qualis est multitudo ipsa, & frequentia, seu, ut clarius loquar, peccata venialia ut frequentia sunt, non autem ut seorsim sumpta: v. g. si homo soleat multum excedere comedendo intemperanter intra terminos veniales, satis esset si doleret de illo excessu, illumque confiteretur, etiam si ei deficeret voluntas, & propositum observandi perfecte regulam temperantiae: ita etiam si fate-

*a De Lug.
de poenit.
d. 14. sec. 9.
n. 133.*

B 3 retur,

De

retur, doleretque de frequentia mendaciorum, quamvis careret dolore de vitandis aliquibus, sed solum corrigere vellet vitam suam vitando frequentiam illam. Ratio autem est eadem, quam supra attulimus: quia scilicet hoc iam est habere voluntatem diminuendi peccatum veniale, quæ est sufficiens dispositio.

§. IV.

De revocatione doloris venialium.

¶ **C**ertum est dolorem de mortali revocari vel per actum contrarium, vel per novum lapsum in quodcumque mortale: quia sic jam homo avertitur à Deo. Unde eum, qui doluit de mortalibus, & ante absolutionem iterum peccat mortaliter; non esse per illum dolo-

rem

rem sufficienter dispositum ad
Sacramentum, diximus cap. 2.

§. 4. Quæstio igitur solum est
quando etiam venialia fatemur.

Sit pœnitens, verbi gratia, qui
velit fateri peccatum mortale,

& item veniale cum dolore con-
cepto ex motivo universali ca-

dente super utrumque, quia sci-
licet sunt offensa Dei; sed dein-

de ante absolutionem incidat in
aliquod veniale vanæ gloriæ,

mendacii, vel ejusmodi generis;

eritne hic sine novo doloris actu
sufficienter dispositus? Videtur

speculativè dispositus nequa-
quam fore: siquidem per pecca-

tum novum veniale dolor ille, ex
universali motivo videtur etiam

quoad mortalia revocatus; unde
operæ pretium erit, ajunt ali-

qui, ut doleat quis ex motivo
proprio mortalium, ne scilicet

per commissiõnem venialis,
postea revocari queat.

B 4

12 Ni-

a Et docet

de Lugo

disp 14. de

pœnit sec.

9. a. 147.

b *Idem**ib. n. 145.*

12 Nihilominus practicè b
puto validum esse tale Sacra-
mentum, & licitum, nec ejusmo-
di scrupulum, etiam illa cautela
nequaquam adhibita, esse con-
scientiis injiciendum.

13 Ita etiam in illo alio even-
tu: quando quis carens mortali-
bus fateri intendat multa diversi
generis venialia, cum simili uni-
versali detestatione, incidatque
postea ante absolutionem in unū
veniale; alio validè, liciteque
hunc absolutionem suscipere.
Ratio hujus, præcedentisque
decisionis est, quia dolor & pro-
positum feruntur quidem in om-
nia peccata; sed inæqualiter
pro eorum gravitate, vel levita-
te: non igitur statim atque in
unum ex ipsis venialibus quis
labitur, revocat alia diversæ spe-
ciei, vel alia graviora, vel om-
nia.

§ 5. De

§. 5.

De proposito vitandi venialia.

14 **V**itandi venialia propositum non est necesse ut sit ita strictum, & efficax, sicuti vitandi mortalia. *a Laym. tr. 6. de pœn. c. 4. n. 19. Coninch d. 2. de pœnit. dub. 41.* Explico afferendo duas differentias inter propositum mortalium, & propositum venialium. Primò enim ad vitanda mortalia ejusmodi propositum concipere debeo, ut eo concepto movear ad declinandas omnes mortaliter peccandi (proximas saltem) occasiones: de qua re infra lib. 3. c. 3. differemus. At ad vitanda venialia non oportet me ad declinandas universas occasiones, etiam proximas, urgeri: cum enim occasiones proximæ ad venialium lapsum sint frequentissimæ; si ab illis omnibus esset nobis declinandum; ex hoc mundo,

do,

do, ut ait Apostolus, exire debe-
remus. Atque hinc consequitur
facilius absolvi eum, qui fre-
quentius cadit in eadem venia-
lia, quam qui in mortalia; nam
offendere in venialibus non est
tam rationabile signum quòd
caruerit quis vero proposito
(sicuti est in mortalibus) sed est
indicium fuisse frequentissimas
occasiones, à quibus non est tan-
ta obligatio se separandi. *b*

b *Iidem.*

15. Secundò propositum vi-
tandi mortalia se extendere ad
omnia omnino debet collectivè;
at vitandi venialia, satis est dis-
junctivè ad aliqua. *c* Ratio est,
quia ex una parte omnia prorsus
vitare non possumus & ex alia
unum sine alio remitti potest.
Alia discrimina vel non faciunt
ad nostrum institutum, vel ad
duo prædicta facile reducuntur.

c *Iidem.*

Finis Libri. E.